

Novis

iis q̄, Spectatissimis ac Honoratissimis

Conjugibus,

Viro Nobili, Excellentissimo, Clarissimo,

Dn. TOBIÆ PONTANO,

Ph. & Med. D.

Illustrisf. Ducisæ Berolstadiensis Medico,
& in patriâ Vratisl. Repub. Practico celeberrimo,

SPONSO :

& Nobil. Lectissimæq̄ Virgini

MAGDALENÆ;

Viri Nobilisf.

Dn. STANISLAI S̄hesler/

Eqvitis Poloni, relicte Filie ;

Nobil. autem, Excellentisf. Amplissimiq̄ Viri,

Dn. Joannis Hennemanni Kensingh/

Med. D. Inviçtissimo Sanctissimæ

memoriæ RUDOLPHO II.

ROM. IMPER.

à Servitiis & Medicinâ Cæsareâ,

nepti,

SPONSÆ,


solemni felicissimarum nuptiarum ritu

A. D. III. Cal. Sext. An. 1646.

Vratislavia copulandis;

Amici & Clientes

Salutem plurimam!



Ad Excellentiss. Dn. Sponsum.

V*ix tumultata fuit Conjux tua prima, per urbem
Magna nimis de te sollicitudo fuit.*

*Quædam perpetuò vacuum sine compare lectum
Spondebant, omnes hæ gemuere tamen,
Prematura aliæ mutati gaudia lecti*

*Sperabant, omnes hæ rubuere genas.
Risisti, & duxti, quæ non prævisa Prophetis.*

*Antè novum nova mox sollicitudo torum est.
Sunt qui desperant hic multa secunda, secundo
Sunt & qui sperant multa secunda thoro.*

*Volvitur huc illuc variis hæc questio nodis.
Me si quis poscit, cuncta secunda fero.*

*Prima tibi ceu mater erat. pia, provida conjux
Cujus consiliis floruit aucta domus.*

*Instar erit natæ præsens, proba, casta, modesta,
Oscula ceu patri quæ tibi grata dabit.*

*Debita erit semper præstò subjectio in ulnis
Dormiet, erigilans gaudia multa feret.*


*Cætera quis nescit quæ gaudia tanta sequuntur?
Sponsus ait fiat, Sponsula dicat Amen.*

*Amico suo singulari
ludebat*

DANIEL WINCLERUS D.

Illustris. Duc. Lign.

Medicus Ordinarius.



Pontana Gens fœcunda multis artibus,
virisq; doctis, & politis moribus,
Pontane Doctor, cur cadat, Te floridum
vitæ virorem denegante Compari
sociæ tori? Puella quam dat cœlitus
Deus Tibi, de Gente nata nobili,
virtute pulchra splendet instar Phosphori,
Prognata avo Doctore, quid ni gestiat
Doctoris esse conjugata Pectori?

Donum DEI Patris benigni convenit
non respuisse, sed manu promptissima
prenfare grata mente, dignis vocibus
laudare, suavibus fovere amoribus,
cunctisq; cordis demereri moribus.

Pontane, quem Medicina præstantissimis
evexit ad culmen poli præconiis,
Quem Bresla, Quem commendat ampla Slesia,
Quem novit in sua arte felicissimum.

Assume donum quod Deus dat optimum.
Magdaleam Scheffleriam pulcherrimam,
charam tori, jugiq; vitæ Comparem,
Fulcrum domus, Gentisq; spem, speiq; rem.

Fundator ordinis sacri consortii,
vobis DEUS det vinculum concordia
Sanctæ, medelam largiatur viribus
Vestris, procul sit omne vobis noxium.


Sit sana mens, Unum cor in Bicipore!
Unâ duo sint carne juncta pectora!

Crescatis unà prole fœcundissimi!
Vestras Deus substantias adaugeat!
Vestrae dies fortis cadant prosperrimè,
Ut gaudiis multis diu fruamini!

ita ferio vovet

& devotè precatur

JOHANN. KURZMAN Wratislaviensis,
in Ecclesia patria ad D. Mar. Magdal.
Archidiaconus & Senior, ad S. Trinitat.
Ecclesiastes.



Allusio ad Sponsæ cognomen.

Sonnet.

Herr Breutigam / werter Freund / was dann vor einen
Hamen
habt ihr gebräucht / daß ihr erhalten habt zu Lohn
diß Zughaffte Bild / dieß Eures Herben Kron /
Vnd liebste Schäßlerin / die Zierde aller Damen?
Euch ist zu wünschen Glück: Sie ist von guttem Samen.
deß Kayser Rudolffs Arzt (schön lob trug er davon) *
Ihr grosser Vater war; derselb' als Tochter. Sohn
Herr Hansen Hunger liebt deß Rathß hier / dessen Namen
die Schulen auch gerühmt. Noch mehr zu wünschen glück
Euch ist / wo fern Geschlecht der Seelen Güttern weicher.
Dann / so vernünftig ihr / mit dencken nach / erreicher /
In dieser / der Natur vnd Zughend Meisterstück /
daß from / vnd nütze sein / die Zucht / den keuschen Sin /
So krieget warlich ihr ohns N ein Schäßlerin.

Ex eadem

Ex eadem Allusione Jocus,

ductu sententiæ Columellianæ:

*Id pecus, quamvis ex omnibus animalibus vestitissimum;
frigoris tamen impatientissimum est.*

Lanigerà pecus haut vestitior ulla bidente,
Nulla tamen magis est frigoris impatiens.
Et vestem virtutis, OVIS PONTANIA, & auræ
Coelibis haud ægrè frigora casta tulit.
Non tamen æternum virgo sic perferet algu,
Ut calido Sponsi nolit amore frui.

Nobil. Excellentissimoq; Dno Sponso

ut, à quo nunc Uxore,

ab eodem Deo in posterum, & Liberis,

& omni beatitudine donetur,

corde precans, facieb.

M. ELIAS MAJOR P. L. C.

Gymnasii Vratislaviensis Elisabetani

Rector & Professor, cæterarumq;

ibidem Scholarum Inspector.

Johannes ^{*}Hunger Senator, & Scholarcha.

Sebast. Hennman - Anna.

Johannes Hennman Reipub. Vratislav.

Medicus, & Sanctiss. memoriæ Ro-
dolphi II. Imp. Rom. à servitiis,
& medicinâ Cæsareâ.

Dn. Stanislaus Scheffler Eqves Polonus - Maria.

Magdalena Schefflerino - Pontaniana.

Argutum memini quondam Te, Sponse, Poëtam,
Dum mihi cantares vota secunda thoro.
Lusisti fateor, verum non omine lævo,
Vin' causam? solus quære, disertus ero.
Quid proclive magis quam respondere Jocanti?
Sed referant veteres seria vota jocos.
Ut cedat Thalamus successibus, opto, secundis.
Si secunda satis vota, secunda satis.

Honoris, fausti; omnis E.
fac.

SAMUEL KINNER
Phil. & Med. D.

~~~~~  
**S**cit benè Pontanus, medicæ mera Gloria Gentis,  
Non procul esse tuum, Bartholomæe, Diem:  
Cum venient Turdi, veniet genus omne Ferinæ:  
Flabit & in penitas lenior aura Fibras.  
Et tamen in tanto, dum flagrat Sirius, æstu,  
Dum Leo trux, Thalami Festa secunda parat.  
Rimaris causam? Suscepti Causa negoti  
Nota solet nostræ sæpè latere domi.  
Qui sibi conformem, Cane sub flagrante, Maritam  
Quæsiuit, Capri Tempore, lætus habet.  
Res similis simili re conservatur Et augmen  
Accipit: adverse noxa timenda Rei.  
Gratia non certam divina ligatur ad Horam:  
Quodlibet est aptum Tempus ad Auxilium.  
Nec sunt infaustum sortita Negotia Finem,  
Quæ cum consulto sunt benè cæpta DEO.

Succe-



Succedat Festum Thalami, cum Tempore Sirl:  
Spem Sobolis firmet frigida Pausa Capri.  
Pontanus Pontem felix struat, aut Pontonem:  
Sic Pontanorum crescet honora Domus.

*Sic δευτερογαμῆντι δευτεροχρηδων  
precor*

M. HENRICUS CLOSIUS  
Gymnasii Magdalenæi Rector.

**Q**ui, Pontane, toro pia Vota dedere priori,  
Solutus ego ex illis vota secunda fero.  
Felix certatim & tranquillum optavimus omnes  
Conjugium. idq; Tibi præstitit Ipse DEUS.  
Prolificum saltim non exoravimus. At quod  
Tum DOMINUS renuit, jam geminare velit.  
Subiectum est aptum; Effectrix est Causaq; præsto;  
Quiq; incrementum suppeditabit, adest.  
Quis nostris igitur Votis subscribere nolit?  
Quis mecum nolit dicere, Fiat. Amen.

Fautori & Amico suo Veteri  
eaq; propter plurimum  
honorando & amando  
*ελοψύχος* optab. felix tran-  
quillum & sæcundum  
Conjugium;

HIEREMIAS TSCHONDER, Vratisl.  
Philosoph. M.

**M**AXIMUS ÆMILIUS tali de nomine Primus,  
Cum Rex Pannoniæ canus sceptriq; Bohemi,  
Stirpe Jagellonum Litvanis natus avitis  
VLADISLAUS, ei confecto enervibus annis,  
Ex se progenitam regalis sanguinis ANNAM,  
Dotibus ingenii florentem, corpore & annis,  
Conjugii gratâ constringere compede vellet,  
Imperii ut fieret sceptris AUGUSTA superbis;  
Sollicito ILLIUS respondit ab ore Parenti:  
*Si quem grandævum summis Paranympus ab astris  
Gestit habere pilam, quasi colludendo datatim,  
Collocat huic ævo viridem formâq; puellam,  
Hoc est, dulce malum, & lentæ contagia tabis.*

Pace tuâ liceat distingvere, *Cæsaris aura.*  
Stet de decrepitis firmo sententia talo;  
At non de vegeti pleno senis incremento.

Qualis PONTANUS Breslæ Podalirius alter,  
Tâm virtute animi, ac membrorum robore pollens,  
Multis in patriam meritis dum computat annos,  
Viribus herbarum, succisq; potentibus ægros  
Innumeros retrahens Orci, ceu Phœbus, ab umbris;  
Ecce nives capitis, seniiq; insignia, cãni  
Festini anticipant annos rugasq; seniles,  
Dum virtus animi viget, & vis corporis illi.

Hic licet incipiat per se langvescere posthac,  
Deliquiumq; pati senio vergente parumper,  
Verùm en SCHEFLERÆ niveis juvenescet in ulnis!




Non secus ac iterum juvenes aquilo induit annos,  
Atq; marès animos, vitæq; resumit honorem.  
Siderei vultus, roseiq; spiritus oris,  
Atq; columbatim fixis data basia lingvis,  
Diffingunt tardam moderante vigore senectam.  
A Sponsa recipit, patriæ quos imputat annos;  
Incipit inde frui nunc demùm munere vitæ,  
Quã prius adjutando alios est jugiter usus.

Ex hoc conjugio (votorum est summa meorum)  
Proveniant Servatoris nova germina Phœbi:  
Tergemini; Pæon, Podalirius atq; Machaon.,  
Ac Hygiea, Ægle soror, & Panacæa salubris.

*Primario Vratislaviensium Medico,  
iterum - Sponsò  
l. m. g. applausit*

CHRISTOPH. COLERUS.



Quod langves, PONTANE, æstas dum torrida fervet,  
Sirius & flammis arva hominesq; ferit,  
Non equidem mirum est; res hæc mage mira videtur,  
Virginis imbellem quod tibi quæris opem.  
Tu Medicus curas alios feliciter, & nunc  
Non herbam pro te porrigit Hippocrates?  
Vanus ad hunc morbum est, frigentq; Machæonis artes:  
Solutus, qui fecit vulnera sanat Amor.  
Sic res est: emplastra dabit mollissima, & omnes  
Leniet affectus MAGDALIS una tibi.

Corpora


*Corpora restituat doctus Podalirius agra :  
Languores Animi Fœmina blanda levat.*

Amico honoratiss.

ex ipsâ animi mente  
gratulab.

**MATTHIAS MACHNERUS**

Reipub. Vratisl. à Latinis  
expeditionibus, & in Judiciis  
Ecclesiastico ac Orphanor.  
Notarius.



**I**psè DEUS, socii qui sanxit fœdera lecti,  
Prosperet hoc cœptum, Magne Patrone, tuum.  
Duret Amor vester longos benè firmus in Annos,  
Et multâ vigeat prole beata Domus. (Christe,  
Hoc Votum esto meum, breve verbis : Maxime  
huic jubeas magnum pondus inesse. SAT EST.

*Debita observantia*

*& boni Ominis E. adproper.*

**PANCRATIUS HEINIUS**

Scholæ Namsl. Rector.

---

Ad Excellentissimum Dn. SPONSUM.

**Q**ui Tibi condolui pridem, PONTANE, dolenti,  
Diceret extremum cum Tibi MARTHA: VALE!  
Nunc Tibi gaudenti merito congaudeo rursum,  
MAGDALIS in Thalamo, dum Tibi dicit: AVE!  
MARTHA prior Conjunx moriens W' INDESIA tristem,  
Ellipsin lecti fecerat (heû!) socii.

DVCta



DVCTa STANISLAI at SCHEFLERI filia, Lecti,  
Vxor, [næ!] eLLipsIn restItVet VIDVI.

Prosit Conjugium, prosit Tibi, SPONSE, secundum.

Prosit idem SPONSÆ (funditus opto) Tuæ.

Quamvis non annis, animis tamen, apto & amore,

Corporis atq; animi dotibus ambo pares,

Vivite concordēs, annis ac dotibus aucti,

Ac similem vobis edite progeniem.

Faultis! ominis ergò, animo  
gratulabundo, deproperab.

GODEFRIDUS HELWIGIUS.

---

### Sonnet.

**W**eil Mars der Wütterich sein Schwerdt im Blute nehet/  
Weil so viel raub vnd mord jetzt leyder Stadt vnd  
Land

Mit ganzer macht anfällt/ ist mancher/ der den  
Im Fröling jener Welt vom Gott selbst eingesezet (Stand  
uß furcht der bösen Zeit zu menden gänzlich schäzet.

Ihr o viel werthes Paar/ Ihr gebet Herz vnd Hand  
Zusammen vngescheut/ hin in das feste band

Der vngesärbten Treu/ die reichlich Euch erget.

Drumb wol Herr Better Euch! der liebsten freundligkeit

Kan Euch/ ihr anderer Galen/ in Freud' vnd Lend

Durch süßen Muth vnd Sinn vnd Euer ganzes Leben

Die Gegengunst vnd Treu wird gänzlich hier gespürt:

Der Euch/ ihr liebes Paar/ in diesen Stand geföhrt/

Der woll' Euch Glück vnd Heil/ vnd reichen Segen geben.

Zacharias Brückner

der Jüngere.

Handwritten text, possibly a title or header, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text at the bottom of the page, appearing as bleed-through from the reverse side.